

Disputatio medica inauguralis de sterilitate muliebri ... / [Johann Francke].

Contributors

Francke, Johann, 1648-1728.
Metzger, Georg Balthasar, 1623-1687.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

[Tubingae] : Stanno Heiniano, [1677]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/v7w5gbcv>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,
DE
STERILITATE
MULIEBRI,

QUAM

SUB

RECTORATU MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
DN. LUDOVICI,
DUCIS WIRTEMBERGIÆ AC TECCIÆ,
COMITIS MONTISBELGARDIÆ,
DYNASTÆ IN HEIDENHEIM, &c.

FVSSV

GRATIOSI COLLEGII MEDICI TUBINGENSIS,
PRÆSIDE
DN. GEORG-BALTHASARE METZ-
GERO, Med. Doct. & PP. Celeberrimo, Domino
Patrono, Promotore & Hospite colendo.

PRO LICENTIA

LAUREÆ DOCTORALIS PRIVILEGIA
PROMERENDI.

Ad Diem  Maji ANNI JUBILÆI 1677.

Publico Examini exponit

JOANNES FRANCUS, ULMANUS.

Heic est naturâ iudice turpe nihil.

DISTRICT OF COLUMBIA

STERILIZATION MILLER

PHOTOGRAPHY

DAVIDSON

BUSINESS

COMMISSION

GRAND

DR. GEORGE H. HARRIS

PHYSICIAN

1875

Address

Washington

1875



J. F.

VTero, tanquam communi patriæ, nos omnes, quo vivamus, orbemque augere possimus, grates debemus: hoc enim in officio cessante unius ævi turba erimus, & in nosmetipsos ruemus. Hinc Medico, ceu satori & statori sanitatis, ut infensos ab eo hostes hinc illinc irruentes propellat, incumbit; expugnato enim semel hoc castello, omne vastatur, demolitur, *tristisque* inter alia *Sterilitas* sedem & pedem ibi figit; quam hâc vice pro talento mihi concredito tractare constitui. Priusquam autem huic labori manum admoveam, Verbum ineffabile, *monente ipso Coo*, submissè invoco, ut ex alto det prudenter agere.

THESIS I.

NOmen *Sterilitatis* quid sit omnibus notum, ac ex adposito subodoratu facile est, me non de *sterilitate* agrorum, arborum, &c. sed in specie *mulieris* locuturum; eam autem tali modo describo: *Sterilitas est impotentia concipiendi mulieris, sub iusta ætate, viri rectè se habentis consuetudine debite utentis, conceptricem uteri facultatem frustratam sequens.* Per *impotentiam* fructum seu symptoma actionis læsæ naturalis & quidem abolitæ intelligo; addo *concupiendi*, ut concipientes quidem, conceptum verò ante tempus rejicientes, hoc vitio, quò propriè non notantur, absolvam, quod rectè contra *Hippocratem* & hunc *secutum Valesium* in 2. epid. § 3. t. 25. *Paul. Zacchias* quest. Med. leg. lib. 3. t. 1. q. 7. n. 8. monet; *mulieris*, pergo, *sub iusta ætate*, quo ipso minorennes & majorennes, ut ita loquar, partim ob defectum partim excessum annorum ad concipiendum non habiles, removeo; *vir rectè se habentis*, i. e. fœ-

cundi, *consuetudinem* debitam urgeo; hâc ergò consuetudine vel non gaudentes, vel non debitè, i. e. non ad legem & rationem à natura institutam, vel virò non rectè dispositò, utentes, in steriliū censum non repono, nec, qui hinc sequitur, concipiendi defectus propriè sterilitas dici meretur.

II. Subjectum *uterus* est, humanæ sationis officina, mirum naturæ ἐργαλεῖον, primum plantarium, quem sicut natura ordinariè operi huic unicè destinavit, ut citra hujus convenientem adparatum conceptionem frustra expectaveris, teste *Gul. Harv. gen. anim. c. de concept.* ita, cùm contrariorum idem sit subjectum, læsæ etiam hujus actionis affectam partem meritò agnosco. Varias dissentientium opiniones alias collectas & examinatas vid. ap. *Th. Bartholinum de insol. part. viis. B. Rolefinccium meth. cogn. fabr. generat. dic. part. p. 2. c. 45. Ch. Frid. Garmannum de ovo hum. §. 40. seqq.* quas cum dictis conciliare haut difficile æstimo.

III. Causam immediatam *frustratam uteri conceptricem* dixi, quam mecum *Medicorum* potissimè amplectuntur; quò autem hæc lædatur modo, diversas opiniones invenio: ut rem compendio contraham, tota ferè *Antiquitas*, seminis utriusque sexus non debitè factam in utero commissionem incusat, de qua sententia *Cous* omnium instar legi meretur *de genit. 1. 8.* quem quasi ducem gregis in hunc usque diem tantum non omnes secuti, qui missionem non modò amborum seminum in uteri cavitate urgent, sed & ita necessariam statuunt, ut si deficiat, de conceptione statim actum & conclamatum esse putent; *testibus heic opus non est.* Primus ferè *Harveius* fuit, qui divortium hoc in negotio à veteribus fecit, remque longè aliter se habere circa conceptum *l. c. exerc. 32.* judicavit; scilicet, non dari commissionem ex semine muliebri, ceu non ente, & geniturâ viri tantum per contagium concurrente; hocque variis rationibus, & observationibus probat, quibus vett. hypothesin de sterilitatis nostræ causis tollit. Licet verò hanc in præsens controversiam ex professo tractare animus non sit, jamque *Harveii* opinionem *Hieron. Barbatius Marc. Marci & Consentinus* sub incudem vocarint; scopo tamen meo ut satisfaciam, verisimiliter ita censeo: 1. semen mulieres omninò habere, idque ad conceptionem necessariò conferre; esse autem

hoc non lymphaticum illum humorem, qui hactenus ferè omnibus imposuit, quem foeminae subinde, salaciores praesertim, in cohabitatione in uterum effundunt, in alios quoscunque usus à natura suppeditatum & in sectione non rarò obvium; sed ovula quaedam sui generis, in testibus muliebribus, ceu ovario, *Nic. Stenonis industriâ* primùm detecta, mox *Hornio & Kerkringio* plenius observata, & nunc omnibus Anatomicis oculatiorib⁹ facile conspicua, muliebris seminis locum nomenq; tueri; hæc debite maturata, & ad uterum deducta per tortuosas tubarum cavitates primū conceptus in utero principium probabiliter ponunt. Tale ovulum *in Salana* ipse cum pluribus, in scorto *Exc. D. D. Faschii* cultro anatomico supposito, ab ovario suo jam abruptum per tubam ad uterum tendens meis his oculis usurpavi.

2. Marem semen suum necessariò contribuere, ut conceptio fiat, nullamque, nisi sociâ hâc causâ concurrente, conceptionem s. n. fieri, quo de experienciâ quotidianâ adstipulante nemo sani sincipitis dubitat. 3. Hoc autem semen virile non tam κατ' ὄγκον, quàm κατὰ δύναμιν in commistione partibus foeminarum genitalibus communicari, volatiliq; & spirituosâ substantiâ suâ uterum & ovula disponere & foecundare, ut conceptioni apta, maturaq; fiant. Præeuntes hîc sequor *rationibus non modò verisimilibus, sed fidâ experienciâ munitos viros, Harveium, Everhardi, Rolefincium, Deusingium, aliosque.* An autem statim in ovario spirituosus hoc ova contagio imprægnentur, an in utero demum id imbibant, rem scopum meum haut ita tangentem in medio relinquo. Interim certus sum, non in utero modò aut partibus vicinis particulas illas spirituosas oberrare, sed sanguinis circulantis ope universo corpori foemineo communicari, foeminamq; quâ animum & corpus diversimodè mutare, teste experienciâ. Hinc suppositis his concludo: *si ova muliebria in ovario debite non elaborantur, nec decenter in uterum per oviductus deferuntur, ibique radicantur, si spirituosum viri contagium sufficienter non imbibunt, conceptricem ladi aut frustrari.*

IV. Proximè autem hæc infortunia uteri accersunt morbi varii; intemperies omnis generis *Cous noster* recenset *s. aph. 62.* acciditq; hîc naturæ agro, quod terræ quacunq; laboranti intemperie, cui semina concredita feliciter & ex voto

non germinant; quâ ipse *Pergamenus* similitudine delectatur *in comm.* Rarissima tamen immodicus uteri calor caussa putatur, ut pleraque inde medicamina calida & sicca laudentur, notante *Excell. Dn. Wedelio Doctore & Ductore meorum studiorum maximo in Comm. MS. de M. Mul.* Omnium verò frequentissima frigida & humida; Archeus enim ex sententia *Helmontii* per blas suum frigidas fabricat ideas, vias, meatusque circa uterum præsentis constringit, miasmatis seminalis pro irrorandis ovulis penetrationem impedit: verbò; ut frigidè opus hoc naturalissimum succedat, facit. Luxurians humiditas fœcunditatem, imò fœcundorum jam ovorum in utero moram & radicationem prohibet. Nec minorem uteri & conspirantium partium mala conformatio culpam meretur, cujus iterum ex parte meminit *Senex noster l. ωΕΙ ατόκων in princ.* obferata ita subinde muliebria loca sunt, aut arctata, sive vitiò congenitò in atretis, sive post natò in aliis ex vulneribus, ulceribus, tumoribus, & in specie scirrhis varias uteri partes obfidentibus, ut conceptionis media vel planè non, vel tamen non sufficienter admittant. Aliquando clitoridis justò major prominentia conjunctioni conjugali obstaculum objicit: idem excrescentia carnea circa inferius colli orificium adnata longitudine digitum minorem, crassitie lumbricum fermè æquans, extra collum uteri pendens, idque exactè claudens præstitit, *in ephem. nat. curios. an. 2. obs. 208.* Sufflaminatur in super conceptionis negotium testium muliebrium præcipuè & tubarum vitiosâ dispositione: illi *ψαδγοί* à natura facti, & ex mollibus vesiculis conflati, ut ovulorum generationi structura faveret, si carnosiores & compactiores sint aut pinguedine nimia comprimantur, si tubæ intercipiuntur, ut vel contagium virile non inferri, vel ovula uterum ingredi non possint, suâ fœminas spe defraudant. Ovorum ipsorum lymphatica fatuitas, carnosior iis inducta pellicula, ob quam nec masculi feminis mixturam, nec, phrasi hætenus consuetâ, *contagii Harveiani* quasi irradiationem pati possunt, paria moliuntur; hinc vel putrescunt in testibus, aut in uterum delata in molas degenerant carnosas, aut insensibili egeruntur abortu, corrumpunturque, secundum *Garmannum l. c.*

V. Dictas causas promovent remotiores aliæ; 1. è *naturalibus* rebus temperamentum sanguinis vel totius quodcun-

que excedens malè audit; sub calido ovorum materia consumitur; sub frigido non generatur; humidum aquosa nimis ova cudit & sterilia. Nimis pinguem corporis dispositionem suspectam *Cous* facit. *de aere*, ∇ a, & l. t. 101. ut & macilentam *lib. de steril.* his materia generandis ovis debita deest, illis in pinguedinem abit, aut, ut *Cous* vult, *os uteri imò tota substantia uterina, pondere obesi aquaticuli & omenti comprimitur, formamque conceptioni inidoneam induit: καὶ ὅλας* tamen non esse, multa exempla in contrarium euntia testantur, nec certiora de statura corporis sive excedente sive deficiente promittere ausim. De dissona utriusque sexus harmonia multi multa proferunt, in quo autem hoc consistat, nullus satis explicat, nec meum est, penitius in hanc inquirere, cum absolutè loquendo sterilitatem non causetur, conceptusque alii junctà viro foeminà facilè sequatur. 2. Ex *non naturalibus* aër austrinus, l. c. t. 18. nobilitatus est, subjugatis enim in sanguine partibus sulphureis & balsamicis à frigidis & pluviosis, ∇ osa & conceptioni inepta ova prodeunt: quo crimine quoque aër hyemalis laborat; peculiari aliquando malignitate infectum fuisse, qui Agrigenti foeminas præprimis steriles reddidit, *Clemens Alexandrinus Strom. l. 9.* auctor est. de sterilibus constellationibus suspectis consulantur *Astrologi*. Cibus & potus manus affectui nostro opitulantes porrigunt: ille quibuscunque partibus vitiosis infectus labem in chylosum succum & sanguinem transmittit, uteroque ita & seminali materiæ non benè consulit. Castratorum animalium comestæ carnes sterilitatem inducere *7. B. Porta* adserit, consentientem tamen experientiam non habet. Dulcia, quod naturam confortent, laudant mulierum potissimæ; hinc totò die saccharata ingerunt; augent hæc quidem vires, ast succum substantificum non præbent, verùm in his fermentationem sanguinis & bilem excitant, in illis lutulentum succum stagnantem & oscula vasorum obviscantem reddunt. Copia vero potûs præ cibis efficacior putatur, ∇ æ præsertim frigida, *de gen. anim. 2. palustres l. de aere*, ∇ , & l. friget enim ferè sine Baccho ♀ us, fermentoque ventriculi corrupto coctionum & totius corporis vigor perit cum satellitio non rarò cachexiæ & ipsius hydropis. Vini tamen imoderatus etiam potus ovula fatua minatur. † ti nimio usu

usu in sterilitatem incidisse mulierem novi, quod cum acidis aliis nervosum genus pungit, caloris vim ferventem in conceptu & semine pervertit, volatiles partes sanguinis ligat, quo dein menses sistuntur. Potus Cossi & Qem pariter extinguere scribit *Olearius in itiner. Pers. lib. 5. cap. 15.* Nonnullis etiam medicamentis manifestis partim, partim occultis viribus operantibus, effectus imputatur; ex vegetabilibus famosa sunt, ruta, sabina, mentha, lingua cervina, filix, asparagus &c. imò splenetica magna ex parte, *Aetio* attestante, omnia purgantia alii etiam suspecta faciunt, quæ sine dubio de usu excessivo admitti debent: ita tabaci ex fistula usus fœcunditati obstare dicitur, quo de prolixè egit *7. Christ. Magnenus exerc. 6. de fumo tabaci §. 10.* Sapphirus, smaragdus, gagates gestati sub cohabitatione steriles reddere dicuntur; ast fides sit penes experientiam; interim dicere auserim, nullibi in tota medicina plures fumos vendi, quam in tractatione gemmarum & lapidum. Nec camphoram adeò metuendam censeo, nî in frequentiori usu pecces, ubi ob partes sulphureas purissimas cum & volatili permixtas fortiter penetrando similesque in sanguine obvias atomos dissipando imbibendo, præcipitando corpus plus debito refrigerat, & ita Qem debilitat; nimius chalybis usus huc quoque trahitur: plura recensere vereor, ne in abusum à maleferiatis trahantur. Stricta nimis vestimenta gallicò illò planchette præsertim armata, quibus se junceas fœminæ cum maxima valetudinis noxa reddere student, pectus & ventrem violentius comprimendo opem multam ferunt. vide *Benedictum Sylvaticum c. 4. consil. & respons. Med. 62. Georg. Francum sat. Med. contin. 9. de planchett.* Motus & vigiliæ in hunc causarum censum quoque veniunt; conceptionis enim materiam vel absument vel aliò deducunt. Rusticæ ita mulieres ob continuos labores, Scythicæ olim, & hodie Magnatum interdum conjuges ex judicio *D. D. Wedel. in MS.* ob equitationem crebriorem & venandi studium minus fœcundæ creduntur. Contrà quies nimia & somnus multam in sanguine & circa uterum faburram colligunt, conceptionemque infirmant. In tributis Paris defectu sulphur sanguinis partibus austeris, stypticis collectis implicatur, viscidis tartareis mucilaginosi succis viæ obfidentur, vasorum oscula obturantur, interdum quoque œde-

mata notante *Exc. D. D. Etmullero in MS. Chirurg.* generantur, muliebrique arvum sine fruge relinquitur; serosiori etiam & acriori reddito sanguine, Archeoque plus justo irritato, fecunditatis hostis, fluxus nimius fieri potest; quod idem venis etiam sedalibus nimis fluentibus *Bened. Sylv. c. 4. obs. 62* adscribit. Quæ *Messalinam* Imperatricem, profligatæ libidinis fœminam, in libidine imitantur, aut *Q*ri tardius litant, viam ad sterilitatem sibi sternere possunt. Illud prostibula meritoria, hoc serum conjugium incuntes subinde probant. Fonticulus diu apertus, feto per cervicem trajectus sterilitati quoque patrocinari, rationibus tamen & quotidianis observationibus contradicentibus, traduntur. Nec infœcunda in fecunditate extinguenda animi pathemata sunt, si excedunt; hoc de mœrore diuturno *Sennertus* affirmat *l. 3. Pr. part. 9. s. 2. c. 1.* idem de terrore *Sinibaldus 6. geneanth. t. 2. c. 2.* asserit, nec aliud de effuso gaudio statuendum videtur; ubique enim prolificæ virtuti periculum jacturam aut concentrationem jugulum petitur; odium inter conjuges & invitos amores conjugium plerumque sterile sequitur, monente *Ætius*; mulierem, si in cohabitatione ploret, non concipere *Mercurialis lib. 1. de m. m. c. 2.* autor est, de similibus idem judicium. Ex *p. n.* cacochymia, hujusque fructus, fluor albus, febres *chron. ard.* viscera malè disposita efficacia sunt. Omentum præter naturam pingue & os uteri comprimens *s. aph. 46.*, durum aliud & lapideum apud *Dom. Panarolum* notatur. Denique incantationes vel ligaturas, das Nestel Knüpfen/ sterilitatem inferre posse cooperante, ad Dei permissionem, diabolo, lippis & tonforibus notum; modos penè infinitos ligandi tam viros quam fœminas reperiri scribit *Del-Rio disq. mag. l. 3. p. 1. q. 5. s. 8.* ultra 50. *Bodinus de mag. dam. l. 2. c. 1.* numerat, de quibus etiam *Sennertus* prolixus est *l. 6. Pr. p. 9. cap. 1. seqq.* Sed satis de causis: *Differentias* ex jam dictis colligere facile quivis potest: igitur ad *Signa* propero.

VI. His autem in sterilitate in genere exploranda vix opus est, propriò enim se indicio suo, conceptionis defectu, prodit. Plus negotii causæ à se invicem secernendæ facessunt. Quarum tamen plures non obscura post se vestigia apud Practicos hinc inde obvia relinquunt, suisque etiam intemperies potissimum patent. Conformationis vitium, præsertim externum, ut & extra admissa alia ipsius ægræ & adstantium relatio vel ipsa ocularis inspectio manifestant: nec affectus *p. n.* expertum Medicum latere facile possunt. Vitiosa ovulorum constitutio ex præsentia cacochymia colligitur. Steriles

astrorum aspectus ex themate natalitio Astrologi venantur. Si hæc & alia signa omnia exulant, muliere cætera vividâ & sanâ, incantationis incidere suspicio solet.

VII. Quâ *prognostica* malum hoc præsentaneū quidem periculum non minatur; steriles autem morbosas magis præfœcundistardiusque his senescere, non sine ratione & experientia *Avicenna* dixit. An curatio facilis an difficilis aut planè impossibilis futura sit, ex causis, unde pendent, colligendum. Cognitu interdum difficiles imò planè occultæ causæ subsunt, ubi ad empirica confugiunt Auctores partim ridicula partim superstitiosa, imò impia planè & christianò indigna, quæ à Doctoribus petantur. Ex præcepto *Hippocratis* sterilitas an curabile malum sit, suffita per muliebria excepto experimentum fiat *s. aph. 59.* quod fecit *J. Petr. Lotichius obs. med. l. 5. c. 1. obs. 13. seqq.* vias *Lindenius phys. med. c. 6. art. 8.* monstrat: quicquid sit; illam duntaxat sterilitatem probari, quæ ab uteri obstructione ac densitate originem ducit, in aliis causis irrita thymiamata *Sinibaldus l. c.* credit. adeò tamen huic fidunt experimento alii, ut in virginibus antequam elocantur fieri hoc suadeant *Cardanus & Rod. à Fonseca incomm.* Sed in se quidvis potiùs aliud admitti virgines patientur quam infundibulum hoc odoratum, verbis *Dieterici in Jatroco.*

VIII. Restat curatio, ubi quid agendum quæritur; ante omnia peccantes quæcunque in corpore & sanguine causæ corrigendæ, evacuandæ, intemperies emendandæ obstructions & conformationis vitia, si fieri potest, tollenda, peculiare partium & uteri præcipuè morbi amovendi, externa etiam abigenda &c. quæ prudens Medicus nec temerè nec timidè ex tribus consuetis fontibus adgredi debet.

IX. Ex *Chirurgico* fonte adeò proficua remedia fluere non videntur, cum frigida ferè & humida intemperies apud potissimas corrigenda veniat. Si tamen ex *Uteris* fluxus defectu & collecta inde sanguinis copia, ut abortûs sæpius, ita & conceptionis abolitæ causa pendeat, *V. S.* utique omnium optimum est remedium, fiatque loco & tempore secundum methodum notis, etiam largior in calidioribus: substitui jubente necessitate vicariæ chirurgiæ possunt. *Hæmorrhoidibus* curatam *Aquapendens* sterilitatem vidit in *O. C.* Fonticuli etiam locum habent, ubi sentina humorum vitiosa felicem ovulorum proventum impedit, profluvium album &c. movet. In atretis sive velatis unicum in sectione auxilium consistit, quæ ne

subitò iterum coalescat fistula ex *Ue* aut aliis immitti potest.

X. Ex *Pharmaceutico*, cacochymia præsertim & mensium inde nata obstructione indicantibus, *preparantibus*, pro diversa humorum natura & corporum dispositione, variis opus est; ex pluribus mihi probentur *Θ* arthemif. s. & vitriolat. cichor. pulv. cachect. *Q. c.* *Θ* diaph. & *○○* cinnam. croc. *Θ* tis aperit. & similia. v. gr. ex radd. ari vel bryon. pulv. hepat. r. q. s. elegans digestivus pulv. pro aliquot diebus concinnari potest. Huc spectant *Θ* lia omnia, quæ non tantum pituitam incidunt, sed & acidos, austeros & acerbos humores absorbent, *Θ* sos *≡* tant, viscerum infarctus liberant, & chylum edulcant, quod mechanicè demonstrari potest. Quæ formulam, liquida, quia felicius penetrant, magis adrident; v. g. *M. S.* *⊖* aperit. Penot. Tinct. *Θ* is cydon. Tinct. *Θ* tartari s. ad gtt. xxx, xxxiii. vel cum arcan. tartari, arcan. duplic. &c. Si humor viscidior & contumacior, conveniunt *Θ* ia vol. cinam. succin. vina medicata præcipuè laudantur, nec non decocta sab. puleg. Hæc *purgantia* excipiunt, ex pill. aloet. marocost. rhab. gialap. agar. extract. *∇* mag. *Q.* cum castor. extract. *Θ* is, resin. gialap. Vel noduli parentur ex mechoac. gial. rhab. agar. herb. *Θ* ial. meliss. radd. aperientibus, fl. anthos, sal. crem. tart. tartari vitriol. &c. commodissimè autem præscribuntur talia paulò ante *Dr*e tempus; ita enim sæpe post exhibita purgantia rediisse menses observatū: necessitate urgente per vices hæc repeti debent. Profunt etiam ventriculo & primis viis laborantibus *vomitória*, quorum materia nota. Serosam pariter cacochymiam feliciter exhauriunt *diaphoretica*; decoct. lign. vel solius vel cum rad. sarsapar. commisti, heic quoque princeps hoc in casu *sassafras* in decocto, essentia, tinct. &c. propinatum, remedium decantatur. Si breviora placent, bez. min. *Dr*e, *U*ale, *Θ* ium diaph. CC. & his similia eligantur. nec negligenda *diuretica*, *⊖* *Θ* is, *Θ* i, cum jusculis dati. Peccante obesitate, pill. contra obesit. Myns. reformatæ cum essent. lign. *○○* lign. *Ω*to. nec non ex sassa. antelaudata, ut & potus acidularum, *∇* *Θ* sar. thermarum usus internus & externus & in hoc & pluribus causis locum habent: moderatò etiam *Θ* usu obesitas fecundari scribitur.

XI. His factis, *alterantia* interna & externa sanguinis uteri & aliarum partium discrasia desiderat, & quidem corroborandi simul & specificâ, ut vocant, virtute conceptionem juvantia. Ex pluribus pauca dabo: duæ steriles ex humidiori utero solo *Θ* alis succo jusculis sumto & encolpismò injecto, nec non sub lecti ingressu coag. lepor. *3j.* propinata convaluere ap. *Heer. lib. 1. obs. 14.* idem alii cum

Lindano in prax. chimiatr. Hartm. in frigida & humida intemperie de roremarino internè & externè, præsertim in balneis & fomentis, sibi promittunt, ut ex lacte in calida & sicca. In quacunque ferè caussa medicamenta à satyrione petita probantur, rad. item eryng. conditæ sem. fesel. eruc. ammios, focolat. ind. nux mosch. fœm. uterus leporis cerv. suis, pulv. secund. hum. umbilicus humanus sponte decidens & exsiccatus, decoct. specif. Q. — formic. caro viper. & hujus ⑥ vol. — uteri cerv. *Dn. D. Mich. in not. mss. ad Chim. Rolef.* magni æstimat: moschus si præbetur, castoreo maritetur. Internis externa adjungi possunt, e. g. balneum contra sterilit. *Mynsich.* probatum, ex integro formicarum cubili exstructum. In fortiori caussa fortius adstringentia cum One addi debent, thermæ sulphuræ, bituminosæ, Osæ, Oosæ, quarum vices subinde etiam fomenta ex appropriatis & suffitus ex thure, mast. succ. myrrh. G. junip. sinu muliebri excipiendi supplere possunt. Pessi post non incongruè ex styr. myrrh. succ. Qial. pulv. uteri cerv. castor. adplicentur, injectiones in caussa calida ex decoct. hord. emuls. frig. in frigida ex jusculis lacte ② amygd. d. Nonnulli suadent etiam liniment. ex ② cheir. zibeth. mosch. ambr. sed ne quid nimis ob suffocationis uteri metum. *Borellus* menthastrum locis muliebr. ante viri accessum imponi jubet *c. 1. obs. 30. Rhumel² in gynæcopharm* anguillam sacculo coriaceo inditam supponit ad uteri purificationem, quæ omnia & his similia commodissimè post mensium fluxum ordinantur. Sunt, qui per transplantationem sterilitatem corrigere satagunt, de qua vid. *Tenzel. in med. diastat.* Si ex sterili constellatione mulier sterilis videtur, in signis fœcundis amoris indulgendum suadent, quibus de consuli Astrologi possunt. Sed quid in incantatione aut ligaturis agendum? ad aphrodisiaca & hic confugiunt Doctores, nupta iis quæ contra fascinum facere creduntur, ut sunt verbena, hypericum, ruta, &c. sæpe etiam ridicula & superstitiosa admittuntur; sic novi restitutam per urinationem super scopas recentes, aliam per annulum nuptialem &c. plura ap. *Primeros. de Morb. M.* vid. placet autem de his judicium *Sennerti. l. 6. Pr. p. 9. c. 9.* In desperata caussa malitiosæ nonnunquam fœminæ ultimum in permutatione virorum asylum quaerunt. Denique nec viscerum Cura, ubi opus, negligenda.

XII. Cætera fons diæteticus subministrat, unde auxilia contra quascunque caussarum minas & abolendas & declinandas fluunt de quibus in genere hic ob pagellarum angustiam monuisse sufficiat, specialia *Pract.* libri suppeditant; pleraque tamen ex superioribus colligere facile est: rivum igitur claudio.